





17

MELETEMATVM  
PHILOLOGICORVM  
FASCICVLVS III.

---

QVIBVS PRAEMISSIS  
AD  
ORATIONES PVBLICAS  
OBSEQVIOSISSIME  
INVITAT  
M. IO. GOTTL. BIDERMANN R.

---

FREIBERGAE  
Literis CHRISTOPH. MATTHAEI.

XVII.



**O**bf. I. Nemini, nisi sacrarum litterarum experti, illa quaestio est ignota, qua genius infernalis, sumta serpentis forma, Euam, viventium matrem, sollicitabat, his usus verbis: אף כי אמר אלהים לא תאכלו מכל עץ הגן i. e. num Deus dixit: ne comedatis ex omni arbore horti? Gen. III, 1. Quae verba quo adcuratius expendimus, eo ad commodatiora ad decipiendam Euam illa reperimus, dolis ac fraudibus mirifice implicata. Et alii quidem pessimi veteratoris maximam versutiam in eo positam fuisse, existimant, quod non virum, sed mulierem iste aggressus est, faciliori negotio irretiendam, suspicatus. a) Alii summam vafritiei in eo collocant, quod perfectissimam hominum felicitatem adiuvare et prouehere videri voluit callidus iste impostor, modum ostendendo, quo Deo ipsi similes euadere possint. Alii tricas et nodos in perplexa et ancipiti verborum structura sibi inuenisse sunt viti; inter quos nuper WILH. ERN. STARCKIVS, praeco verbi diuini apud Bernburgenses, nomen suum est professus, b) docens, prout particula negandi לא vel ad אל vel ad לל referatur, diuersam prodire explicationem. Et priori quidem sensu verba ita esse exponenda: ex omni arbore non comedatis, i. e. ab omnium arborum usu omnino ablineatis; posteriori autem verborum iuncturae hanc inesse sententiam: non ex omnibus arboribus comedatis, i. e. non nisi quaedam arbores comedendo inferuiant. Ego vero primarium fraudulentum consilii momentum in dictione תאכלי positum fuisse, statuo. Quum enim Deus Gen. II, 17. soli, qui tum aderat, Adamo, praecepisset: לא תאכל ne comedas; iam nequissimus iste impostor ex Euam quaerit: dic, sodes, ubi Deus dixerit: לא תאכלי ne comedatis? mandatum igitur illud te non obstringit. Valet in hanc sententiam obseruatio cel. BREITINGERI; c) quando לא secundae personae plur. praeponeitur, distributiue est accipiendum, quasi ad unumquemque seorsim, atque ad omnes, tanquam ad unum, oratio dirigatur, e. g. Exod. XX, 21. לא תעשון לא neque tu, neque ullus e coetu vestro facitote.

**O**bf. II. Idem STARCKIVS d) per הרב המהפכה ומה להש הרב המהפכה quibus terculamentis eiechi Paradiso primi homines prohibiti fuerunt, ne redium tentarent, Gen. III, 24 nubes intelligit, fulgore perpetuo exhorrescendas, *schrecklich blizende Weiter-Wolcken, die mit ihren umberschießenden Blizen verbinderten, dass sich die vertriebenen Menschen nicht wieder naekern durften.* Quum vero negari non possit, tonitrua et fulgura ex causis naturalibus oriri, homines autem iis, quae per ordinem naturae sunt, minus commoueri, et praeterea significationem כרובים neque nubibus

a) Reinbeck. Betracht. über die Augsp. Conf. P. II, p. 69. sqq.

b) in der Historisch-critisch. und Theolog. Betracht. von Baume der Erkaenntnis. (Frf. et Lips.

1747.) p. 209.

c) de Idiōtisim. ferm. Hebr. p. 107.

d) l. c. p. 340.

nubibus conuenire, neque uspiam fulgura cum flamma vibrati ensis comparari, nemo non facile intelligit, hanc sententiam facilius potuisse excogitari, quam probari.

*Obf. III.* Verba Abimelechi cum Sara colloquentis הנה ראה לי כסור עינים לכל אשר אתך ואת כל זכרתך *Gen. XX, 16.* *cel. OEDERVS* hoc modo vertit: e) *ecce, ille sit tibi velamen oculorum omnibus, qui tecum, (in familia tua sunt) et ETHCOLO et NOCHACHATHO.* Sulpiciatur nempe, Ethcolum et Nochachatum ex eorum numero fuisse, qui foedere Abrahamo iuncti erant. *Gen. XIV, 13.* Quia vero tres illi viri, *Gen. XIV, 24.* Aner, Escol, et Mamre dicuntur, Escolis nomen in Ethcol, et Mamre in Nochachath conuertit. Et horum quidem, quum nuper rebus ab Abimelecho gestis non adfuisent, non minus interfuisse, adfirmat, quam reliquorum Abrahae familiarium, ut adcurate scirent, quid de patriarcha eiusque uxore factum esset. At enim vero, hic primo laeso quaerere liceat, cur Anerum praetermisit Abrahamus? Deinde argumentis idoneis demonstrare debuisset, Mamren alio nomine Nochachatum cognominatum fuisse. Quod enim, HILLERVM secutus, f) MAMREN lucum, a possessore nomen sortitum, et MOREH unum eundemque fuisse, fingit, Moreh vero et Nochachoth, habita deriuationis ratione, conspirare, statuit, hoc facilius disputat, quam confirmat. Namque disertis verbis *Gen. XIII, 17.* Abrahamus ex loco Mohre commemoratur Mamre peruenisse, quum Mamre ad regionem Hebron, *Gen. XIII, 18.* et ad terram Amoraeorum, Moreh autem ad tractum Sichem *Gen. XII, 16.* et agrum Cananitarum *Gen. XII, 6.* pertineret. Accedit, quod Grammatici certent, et adhuc sub iudice lis sit, utrum מרה rectius ארה (ad cuius significationem ירה et Nochachath proxime accedere, Oederus putat,) an vero ארה aut מרה, *conspicuum et elatum esse,* felicius deriuetur. Mons certe *Moriiah*, a LXXlibus הר מורייה et Ἰερουσαλὴμ, a PLINIO vero *Orine* appellatus, ab hac radice procul dubio nomen traxit.

*Obf. IV.* Quam nuper STEPH. HATHVANVS, Hungarus, S. S. M. Consecr. et Philiaer, in vaticinium Bileami, *Num. XXIV, 17.* publicae luci exposuit, animaduersionem, g) verba: קרקר כל בני שם exponens: *destruet omnes filios ebrietatis,* ad veri similitudinem accedere, nemo fere negabit. Pro noua tamen venditari non debet, quippe quam iam dudum Celeb. MATTHIAS HILLERVS non uno loco in crustauit, h) et S. V. WALCHIVS data opera refutauit. i)

*Obf. V.* *Psalmi* Hebraei codicis *Alphabetici* illi dicuntur, quorum versus prima littera ordinem alphabeti referunt, et quam classem hi fere septem

\* 2

con-

e) in Animaduersionibus S. (*Brunsv. 1747.*) f) in Hierophytic. P. I. c. XXXVII, p. 379.  
g) in Museo Heluetic. (Tigur. 1748.) P. VIII, p. 575-599. h) in Onomast. S. p. 65 p. 442.  
et 568. et in Syntagm. Hermen. p. 247. i) Diss. de varia indole interpretum  
S. S. p. 29 599.

constituere existimantur; XXV. XXXV. XXXVII. CXI. CXII. CXIX. CXLV. Vtrum vero hoc subsidium ad veterum artem musicam pertinuerit, an vero ad memoriam iuandam fuerit adhibitum, incertum esse, recte SIM. DE MVIS adfirmat. k) Hoc tamen est certum, psalmos ad ordinem alphabeti Hebraici conformatos, argumenti dignitate inter ceteros eminere. Id quod Iudaeorum doctissimus, R. D A V. K I M C H I iamdudum perspexit, ita pronuntians: ל) בראה שכל מזמר שיאמר בא"ף ביה הוא לפי גודלו i. e. videtur omnis psalmus, qui dicitur alphabeticus, talis esse ob dignitatem suam. Quam sententiam fere repetit, ubi de Ps. CXIX exponit: ביה הוא נכבד מאד והברו דוד על שמנה א"ף ביה i. e. psalmus hic est valde venerabilis, quippe quem David composuit, adhibito octuplici alphabeto. Tantum autem abest, ut praesidium aliquod aut testimonium singulare huic litterarum ordini inesse, existimemus, ut potius, casu fortuito illum coaluisse, statuamus, praecipue, quum adpareat, in aliis litteras deesse, in aliis abundare, in aliis ex mediis versibus colligi eas oportere. Hoc inter alia L V D. CAPELLVM permouit, ut, textum Hebraicum corruptionis insinulaturus, m) ad hos psalmos prouocaret, in quibus quum videret certas alphabeti litteras deesse, integros versus desiderari, statuebat. Quae quum ita sint, non erat, cur nuperrime M. GEORG. PETR. ZENKELIVS n) de augendo psalmoreum alphabeticorum numero cogitaret, et psalmum IX, hunc in numerum referret. Quod quam coacte fiat, ii intelligunt, qui commata illius peruefligant. Rectius iam olim D HIERONYMVS nobis fecisse videtur, qui, ut numerum eorum restringeret, non nisi quinque dignos hoc nomine iudicauit. o)

*Obf. VI.* Cum omnes fere psalmoreum Hebraicorum inscriptiones suis difficultatibus laborant, tum ea inprimis, quae voce המעלה continetur, interpretes mirifice torfit, quorum coniecturas IRHOVIUS et SONTAGIVS in separatis libris collegerunt. Recentissima autem, et omnino singularis opinio haec est, quam nuper S. V. IO. CHPH HEVMANNVS in scenam produxit. Nam hic suspicatur, nomine המעלה, quindecim iis psalmis praefixo, qui vulgari nomine *graduales* adpellantur, auctorem horum canticorum indicari, HAMMAALOTH vocatum, et eodem cum Assaph, Heman et Ethan loco habendum. p) At enim vero, quia ceteri psalmoreum conditores, nominatim Dauid, Salomo, Mose, Assaph, Ethan, filii Korah, Iedithun, et, qui in Graecis codicibus adduntur, filii Ionadae, Ieremias, Heseckiel, Haggaeus et Zacharias, in omnium notitia versantur, pro ficto hunc Hammaalothum tamdiu habere licebit, dum eius origines in

k) in Opp. T. I. p. 126.

l) in Comment. ad Ps. XXV.

m) Critic. Sacr. L. I.

n) in Commentar Hebr. lingu. (Len. 1748.) p. 12.

o) Epist. 155. ad Paul. Vrb.

p) Miscell. Groening. T. IV. Fasc. I. p. 7. 199.

in lucem protrahantur Accedit, quod sigillatim in titulo psalmodum CXXXII, CXXXIV, CXXXVII, CXXXI. et XXXIII, dictio המעלות cum דוד et שלמה coniungatur. Si vero hi fuerunt auctores, quid opus erat Haminaalotho? Statuit quidem S. V. HEVMANNVS, in locis adlegatis דוד et שלמה non causam efficientem, sed obiectum personale psalmi significari. Ego vero lectorem, praeiudicatis opinionibus immunem, per vires iudicii sui obestor, ut candide atque aperte edisserat, num in psalmo CXXXII, facilius Dauidem, tanquam obiectum personale, quam in ceteris psalmis, in medium iam adlatis, deprehendat? Et tamen titulus illius non דוד sed solummodo המעלות שיר praefert. Vereor igitur, ne vocabulum המעלות in HAMMAALOTHVM transformatum, imposterum in eam classem referatur, in qua מוסף השבת i. e. regnem sabbathi, 2. Reg. XVI, 8. ab interprete Vulgato in *Musach* sabbathi, בן נפסר i. e. imperator, in *Taphsar*, Ier. LI, 27. ברמשק, i. e. in angulo, Am. III, 12. in *Damascum*, אורח i. e. speculabor, in *Affur*, Hof. XIII, 7. a LXXlibus autem דוד אולם, i. e. certe Lus, Gen. XXVIII, 19. in *ελαμλεζ*, האררי i. e. exploratores, Num. XXI, 1. in *אדארים*, מישר i. e. planities, Deut. III, 11. in *μισαγ*, השנה i. e. vetus, Neh. III, 6. in *ιασανα*, אגנח i. e. phialae, Ies. XXII, 24. in *αγα* *ωδ* &c. sunt conuersa. Omnium autem simplicissima eorum sententia videtur, qui cum Cel. HARENBERGIO q) hoc nomine vel instrumentum musicum exprimi statuunt, vel initium certae cantilenae referri arbitrantur, ad cuius modum hi psalmi decantati fuerunt.

*Obs. VII.* Inter res quatuor, admiratione dignissimas, quibus peruestigandis Agur se imparem publice profitetur, *Prov.* XXX, 19. etiam דוד נחש עלי צור refertur. Quae verba D. LAVR. REINHARDVS per *insidias Satanae contra Christum* exponit: r) cui sententiae viam C. L. SCHLICHTERVS s) et CAMP. VITRINGA t) iam dudum aperuerunt. Et hac quidem ratione eorum vestigiis insistit, qui mysticum verborum sensum venantes, cum F. A. LAMPPIO, statuunt, u) aquilae sursum volantis nomine Christum caelos ascendente repraesentari, cum naue in mediis fluctibus ecclesiam calamitatibus agitatam comparari, per viam autem viri ad virginem Messiae admirandam ex Maria natiuitatem praedici. Haec vero interpretatio ideo haud satis commoda videtur, quod, turbato naturae ordine, adscensio Christi natiuitatem illius antecedit. Quas salebras alii euitaturi, sensum litteralem cum HERM. WITSIO praeferebant, w) dictum Salomonaeum ita explicant: *Reuera in sublimi illo celerique aquilae per caelum volatu, reuera in tanta volubilitate et implicatis serpentum gyris, reuera in uniuerso nauigandis negotio, imo reuera in coniugum matrimonio copulatorum amoribus aliquod arcani*

q) Biblioth. Brem. T. VIII. p. 973.  
de IV. rebus Salomonis intellectu  
Serpente veteratore p. 122. sqq.  
Sac. T. I. L. I. c. XVIII. §. 33.

r) in Decim. Exeget. P. I. p. 9. sqq.  
difficilibus (Hal. 1730.) p. 28.  
u) in Foed. grat. T. III. p. 555.

s) Orat.  
t) Diss. de  
w) Miscell.

arcani inest, cuius proximas causas et singulares rationes, specialesque providentiae divinae ductus animus humanus nunquam adsequitur. Quid vero, si sensu tropico, (quem Pronerbiolorum liber ubique spirat,) hanc interpretationem, salvis aliorum iudiciis, tentemus? *Via aquilae in caelo* micificum hominum studium refert, qui vel sidera percurrendo, emetiendo, et examinando, superas volitant super auras, à PLINIO x) caeli interpretes adpellati; vel ardua quaevis, magnifica et sublimia consecretantur, eos fere imitati, quos, OVIDIO teste, y)

*adfectasse ferunt regnum caeleste gigantes  
altaque congestos struxisse ad sidere montes.*

Huius generis homines iam pridem miratus est OPPIANVS, canens; z)

*ὧς ἔδεν μεροπεσσω ἀμηχανῶν, ἔτ' ἐνι γαίῃ  
μητρὶ καμῆν, ἔ κολπον ἀν' ἐυφωεντα θαλασσης.*

i. e. nihil est tam difficile, quod homines efficere non studeant, siue in terra matre, siue per maris recessus. Eisdem miratur HORATIVVS: a) *nil, inquit, mortalibus arduum est: caelum ipsum petimus.* Cum quo studio caelestium Salomo hoc loco desiderium terrestrium coniungit, *per viam serpentis super petram*, improbum mortalium laborem repraesentans, quo abditos terrae recessus, instar serpentum perreptant, opesque, petris et lapidibus communitas, eruunt. Et quis est, qui hoc studium, praesentissimis vitae periculis obseptum, non admiretur? *Persequimur*, PLINIUS ait, b) *omnes telluris fibras, viuimusque super excauatam: imus in viscera eius, et in sede manium opes quaerimus: illa igitur nos ad inferos agunt, quae natura demersit et occultauit.* Stupet OVIDIVS, canens: c)

*itum est in viscera terrae,  
quasque recondiderat, stygiisque admouerat umbris,  
effodiuntur opes.*

Quod igitur olim SILIVS ITALICVS d) in Hercule miratus est, Alpes incredibili studio superante, id in unumquemque metalli fossorem hodie adprime conuenit:

*rumpit inaccessible aditus.*

Imo, fortasse Hebraei *aes* atque *cuprum* כסף nonnisi ideo insigniunt, quia ad illa ex terrae latebris et saxis protrahenda opus est כסף i. e. iis, qui, serpentum instar, meatus illos perrepat et perferuntur. Sequitur iam *via nauis in mari*; quae imaginem exprimit vitae humanae, variis calamitatum procellis identidem perturbatae. Et tandem כסף ברך בעלמה indicat *mores hominum in iuuentute*. De quo quod alibi copiosius me exposuisse, memini, e) pedem hic figo, hoc unum adiiciens, etiam CICERONEM

priora

x) H. N. L. II. c. 12.

y) Metam. I. 151.

z) L. V.

a) Carm. I. Od. 3.

b) H. N. L. XXXIII. Prooem.

c) Metam. I. 138.

d) L. III. 516.

e) Progr.

de varia indole iuuenum ad Prov. XXX, 19. *Nauib.* 1740.



priora illa momenta aliquando admiratione complexum fuisse, quum, *natura*, inquit, f) *sic inuestigata est, ut nulla pars in caelo, terra, et mari sit praetermissa.*

*Obs. VIII.* Qui commentario in Iobum nuper edito inclaruit, IAC. KOCHIVS, inter alia commentationem promisit, g) qua ostendet, vocem *οὐκ* in locis V. T. biblicis, non in genere neutro, sed masculino ordinarii participii Paul explicandum, idem atque *λογον* apud Iohannem valere. Quid autem de *τιτ οὐκ 2. Sam. XXIII, 1.* ille sentiet? Rectius igitur sentiunt, qui hoc nomine vel oraculum immediate diuinum, vel spiritu S. interueniente prolatum, idque magnificum et gloriosum eloquium notari, adfirmant. Quam ab caussam non nisi in illustribus vaticiniis et canticis adhibitum reperitur: quo sensu infallibile fidei firmamentum et complendae certitudinis fundamentum significat.

*Obs. IX.* Quid *παραδιατριβαι*, i. Tim. VI, 5. ab apostolo summo studio deuitari praeceptae, innuant, disputatur. Ex scholis autem veterum philosophorum optime haec dictio explicari posse, videtur. Quemadmodum enim apud Graecos disceptationes litterariae et congressus eruditorum *διατριβαι* dicebantur: ita, addita praepositione *παρα*, contentiones rixosae et disputationes sophisticae hoc nomine indicantur. Neque alienus est ab hac sententia IO. RVD. STECKIVS, h) qui *παραδιατριβην* h. l. simplici *πατριβη* aequiuale, statuit, consensu Graeci scholasticae frutus, quem ERAS. MVS adlegat, i) *ὅτι καθ'απερ τα ψαλαλα των προβατων πατριβομενα γοσθ πληροι και τα υγιανοντα* etc. i. e. *sicut oves scabie laborantes inutuo conflictu morbum communicant*, etc. Quo sensu eiusmodi contentiones vel collisiones h. l. notantur, ubi atterimus, et atterimur, ut TACITVS loquitur. k)

*Obs. X.* Quemadmodum Anglus decantatissimus, THOM. WOOLSTON, qui omnem fere fidem apud christianae religionis cultores decoxit, in portentosis opinionibus famam sui nominis, veluti laureolam in mustaceo, quaeuisit: ita etiam sacras literas perfricta fronte inuadere, non dubitauit, addendo, delendo, interpolando, coniungendo, separando, et transmutando, quae palato suo adcommodata videbantur. Inter alia in loco *Apoc. VIII, 13.* particulam *και*, ter repetitam, non per *Vae* explicat, sed diuisim interpretatur, *ἂν αἱ* vertens: *nonne Ai est urbs caliginis?* l)

*Obs. XI.* Quid inter FISTVLAM et TIBIAM apud veteres interesserit discriminis, diligentissimus differentiarum collector, AVSONIVS POPMA praetermissit: cel. autem GESNERVS in Thesauro suo nunquam satis commendando, m) utramque in eo discrepasse, statuit, quod tibiae ex ossibus, fistulae autem e buxo vel arundine fuerint constructae, quarum illae originem Mineruae, hae autem Pani debebant. Aliud vero addere liceat discrimen, quod nempe moduli in fistula ore, in tibia

f) de Finib. V, 9.  
P. II, p. 680.

k) in Agricol. c. IX.

g) in *Neubaueri* Nachr. von denen itzt lebenden Theol.  
h) in *Tempe Heluct. T. V. p. 318.*

i) in Annot. ad h. l.

l) in *Frec. Gift to the Clergy p. 20.* m) ad voc. *Tibia.*

tibia vero digitis erant temperandi. Ita enim ACHILLES TATIVS: η) ὅσα δὲ ὁ τῆς Ἀθηνᾶς αὐλὸς ἐντὸς λαλεῖ, τὸσαῦτα καὶ ὁ τῆ Παναοῦ ἐν τοῖς σομαστικῶν αὐλῆι. Ἀλλ' ἐκεῖ μὲν οἱ δακτυλοὶ κυβερνεῖσι τὰ αὐλημάτων, ἐταυθα δὲ τὰ τεχνίτη το σομα μίμεται τῆς δακτυλῆς, i. e. quaecumque Palladis tibia, eadem Panos fistula, ori adnota, sonat; verum illic digiti modos temperant, hic autem artificis os digitos imitatur. Ab his πλαγιάουλος diuersus erat, a Lybiae populis inuentus, qui a latere inflabatur (la traversiere, eine Queerfloete,) quem uas-cam tibiam a Latinis adpellatum fuisse, SALMASIVS obseruat, ο) cum quo SER-VIVS conspirat. p) Meminit illius BION: q)

ὡς εὖγε πλαγιάουλος ὁ Παιν, ὡς αὐλον Ἀθανα.

Quae verba interpres Gallus, LONGVEPIERRE, in sua versione ita transtulit: r) Pan avoit trouve: l'art d'unir les chalumeaux:

eamque versionem in subiecta nota his verbis excusat: j'ai substitue ici les chalumeaux, c'est a dire, la surrye des Grecs, et la fistula des Latins, dont Virgile donne l'idee par ce vers: est mihi disparibus septem compacta cicuris fistula: parceque cette flute, dont parle Virgile, est plus connue, que la flute oblique, et qu'il est certain, et meme plus connu, que Pan en fut l'inventeur. Plura de hoc plagiaulo doctissimus SCHWEBELIVS exponit s)

Obs. XII Multa et varia comoediarum genera apud veteres fuisse, constat. Qui de iis exposuerunt, commemorant palliatas, togatas, tabernarias, attellanas, mi-nios, rhintoricas et planipedia. Fabulas autem crepidatas, in quibus actores crepidas adhibebant, tantum non omnes praetermiserunt. Neque, quod miramur, cel. GERNERVS, cetera diligentissime de re comica exponens, t) earum facit mentionem. Commemoratur autem eas LIL. GREG. GYRALDVS, his usus verbis: in aliquibus fabulis crepidis utebantur, quae CREPIDATAE dictae sunt. u)

Ego vero ad aenam scenam Vos, PATRONI et FAVTORES, iam invito. Postquam enim quatuor iuvenes commendatione dignissimi, nihil eorum praetermiserunt, quae ad officium ipsis impositum pertinere videbantur, nunc, iter ad academiam parantes, in eo sunt, ut publice Vobis et huic scholae valedicant. Sunt illi

GOTTFR. HAMAN, Luckenwaldensis,  
IO. SALOM. MVLLERVS, Groschirm.  
IO. GEORG. BECKERVS, Braunsdorf.  
IO. DAV. BRVCKNERVS, Groshartmannsdorf.

quorum primus Hamanem sermone Hebraico defendet, secundus de corruptelis reip. oratione Latina exponet: tertius, verbis Graecis usus, scholam cum metallifodina comparabit; quartus verbis Latinis ornamenta reip. bene constitutae complectetur. Pii votis, carmine Germanico, quo sapientia cum arbore vitae confertur, conceptis, abituros prosequi instituerat filius meus dilectissimus, nunc desideratissimus,

Car. Sigism. Bidermannus, Naumburg.

Quia vero nudus sextus hunc bonae spei filium humanae vitae auctor et arbiter, praeter omnem expectationem proh dolor! ex viuis eripuit, carmen ab eo elaboratum nomine defuncti commilitonis recitabit Georg. Sam. Creuziger, Frankenberg.

Vos itaque, qui Musis nostris fauetis, cras audita hora ante meridiem nona, adeste, et verba facturos benevolentia vestra suffulcite. P. P. a. d. XXI. Apr.

A. R. G. MDCCXXXIX.

n) Erotic. L. VIII. p. 477. ed. Salm. o) ad Solin. V. 15. p) ad Virgil. XI. Aen. q) Idyll. III. p. 52. (edit Venet. 1746.) r) p. 300. s) Nortt. ad Bion. et Mosch. p. 52. sqq. t) in voc. Tibia. u) libr. de Comoedia, quae inserta est Gronov. Thesaur. Antiqu. Graec. Vol. VIII. p. 1490.

Yb 627

(1/80)

ULB Halle  
002 103 591 3



7A-20L

VD 18



17

MELETEMATVM  
PHILOLOGICORVM  
FASCICVLVS III.

---

QVIBVS PRAEMISSIS  
AD  
ORATIONES PVBLICAS  
OBSEQVIOSISSIME  
INVITAT  
M. IO. GOTTL. BIDERMANN R.

---

FREIBERGAE  
Literis CHRISTOPH. MATTHAEL

XVII.

